¶ Ad reuerendissimos dominos cardinales/ar chiepiscopos/episcopos/sacrarum religionum recto res generales/ a sanctissimo dño nostro d.Leone papa decimo in deputatione fidei nominatos / Pauli Germani de Middelburgo / dei & apostolicæ sedis gratia episcopi forosempronień: ad emendationē calendarii/& rectā paschæ celebrationē exhortatio:qua proponit modū breuissimū calendarii facillime corrigēdi.

PRimū & præcipuū christianæ religionis festum est pascha / multa in se continens mysteria:quippe quod non solū significat rem eo die gestam/agni uidelicet imaculati imolationem: uerūetiam est figura rei futuræ: & rememoratio rei pręteritæ. Præfigurabat nanq; olim Christū tanq̄ agnū imaculatum eo die in cruce imolandū/ per cuius sanguinē in ara crucis effusum humanū genus liberaretur a diabolo iugiter illi insidiante: sicuti filii Israel per sanguinē agni postibus illitum liberati fuerūt ab angelo deuastāte Aegyptū : quemadmodū docet Moses Legislator Exodi.xii. Erit inquit uobis sanguis in signū/hoc est/in sacramentū: Est enim sacramentū sacræ rei signū. Et habe

bitis hunc diem in monumentū/quod idē Legiſlator exponens ſic de paſcha ſcripſit:Cū interrogauerint uos filii ueſtri quæ eſt iſta religio: dicetis eis uictima tranſitus dñi eſt/quando trāſiuit ſuper domos filioꝝ Iſrael in Aegypto percutiens ægyptios & domos noſtras liberans ob ſanguinem agni ſuperliminaribus domorum aſperſum. Hæc igitur facta ſunt in figura ſanguinis Chriſti / per quem eo die a malo angelo nobis inſidiante liberati ſumus:lauit enim nos Chriſtus a peccatis noſtris ſanguine ſuo.In hoc itaqꝫ feſta quæ fixa appellant diffe runt a feſtis mobilibus: quia fixa(ut Hieronymus in epiſtola de celebratione paſchæ dicit) nullum habent in ſe myſteriū uel ſacramentū/ ſed ſolum ſignificant rem eo die geſtā: feſta uero mobilia ultra rem geſtā habent typum uel figurā rei præteritæ uel futuræ/ut exempli gratia feſtum natalis domini nō celebratur ob ſacramentū / ſed ſolum ꝙ per illud ſignificatur Ieſum eo die uidelicet. xxv. menſis decembris natum fuiſſe ; paſcha uero ultra rem geſtam / agni uidelicet imolationem eo die factam / habet in ſe myſterium & ſacramentum;quia fuit

figura rei futuræ / ſcilicet immolationis Chri/ſti in ara crucis: & fuit rememoratio rei præ/teritæ/ redemptionis ſcilicet filiorum Iſrael ab angelo deuaſtante Aegyptum/ ſicut iam decla rauimus. Moſes typum paſchæ in agno de/ſcripſit / & Chriſtus paſcha ueritatis oſtendit. Ille agnus umbra fuit / hic lux & ueritas. Ille ſanguis figura fuit/& dominici ſanguinis mõ/ſtrabat effectum / hic quod ab illo figuraba/tur effecit. Illud ergo paſcha Chriſtum in cru ce immolandum præfigurauit: quod & apo/ſtolus / Paſcha noſtrum inquit immolatus eſt Chriſtus: Sicut & Eſdras propheta (ut Lactan tius refert) longe ante prędixerat / Hoc inquit paſcha ſaluator noſter eſt & refugium noſtrũ/ cogitate quomodo habemus humiliare eum in ligno / & poſt hoc ſperabimus in eum / ne deſeratur hic locus in æternum tempus dicit dominus deus uirtutum / ſi non credideritis in eum neq; audieritis annunciationem eius/ eritis deriſio in gentibus. Hæc eſt ergo re/ligio paſchæ & ſacramentum atq; myſterium hoc eſt / arcanum immolandi agni paſchalis qui quartadecima luna primi menſis ad ueſ/

ſperam imolari debebat. Primus aũt menſis a lunatione uernalis ęquinoctii auſpicatur iuxta illud Deuteronomii.xvi. Obſerua uerni primum temporis: ut facias paſcha dño deo tuo. Hanc igitur primi menſis conſtellationẽ/ non fatalem/ſed paſſioni ſuæ congruã Chriſtus ſaluator accurate uoluit cuſtodire: ſimiliter & tẽpora omnia quæ in mundi creatione & primi hominis plaſmatione concurrerant in ſua et iã paſſione uoluit obſeruare: ut maculam illam quam per protoplaſti peccatũ & præuaricationem contraxerãt/ per ſuam ipſe paſſionẽ deleret/ac omnia pura & nitida redderet: & humanam naturam priſtinæ innocentię reſtitueret. Hæc aũt tempora deſignat ęquinoctiũ uernale/& ſol in eo poſitus: luna lumine plena ex ſolis oppoſito in autumnali ęquinoctio collocata: feria ſexta/hoc eſt/dies Veneris/ in qua primus homo creatus & per cõtumaciam lapſus hæc omnia tempora contaminauit. Idem nãq; modus eſſe debuit innouandi mundi & redimendi humani generis / qui fuit primæ eius creationis. Cuncta ergo tempora quæ concurrerant in prima mundi & hominis plaſmatione & quæ per lapſum eius & præuaricationẽ

contaminata fuerant/debebant eadem ſerie re ſumi in redemptione eius & una cum homine purificari. Voluit ergo deus in ſua incarnatione & paſſiōe obſeruare ęquinoctiū ex peccato Adæ contaminatū; tum ob temporis & luminis renouationē/ut totū tempus & conſequens ęuum ex ęquinoctio tanq̄ ex uertice purificato fulgidum redderet: & fugatis ac peſſundatis tenebris ęternā nobis lucem induceret: quia in eo lumen pietatis adauctū/diminutis iniquitatis & noctis tenebris mundū nouo ſplendore clareſcere fecit. Eſt enim uernū æquinoctium uertex temporis & lucis principiū / nam ante primū ęquinoctiū dies nō fuit/ſed tenebrę perpetuæ/ & ſole exiſtente in circulo æquinoctiali lumen diei ſuper tenebras noctis creſcere incipit: & ideo Ieſus in ſua paſſione æquinoctiū obſeruauit. Ac uoluit etiā cuſtodire lunā quartādecimā/hoc eſt/pfectā & lumīe plenā: iuxta prophetam qui cecinit/luna perfecta teſtis eſt in cęlo fidelis/ ipſa nanq; dominicæ paſſioni teſtimoniū debuit perhibere quæ in præuaricatione primi parentis teſtem ſe præbuit/& eadē facie qua Adam tranſgreſſorem diuini mādati in ligno uetito peccantem inſpexit/debuit etiā

inſpicere Chriſtũ liberatorem in ligno crucis pendentẽ. Iam enim oſtendimus libro. xix. uoluminis quem de die dominicę paſſionis edidimus/ ſolem & lunam in eiſdem gradibus hora paſſionis Chriſti fuiſſe in quibus etiam fuerant quãdo Adam peccauit. Voluit ergo Ieſus omnia tempora per præuaricationẽ primi parentis contaminata / in ſua paſſione reſumere & purificare. Et quia uenit ſaluos facere nõ ſolum iudęos/ uerumetiã gentes omnes credẽtes in eum/ uoluit in die paſſionis ſuæ concurrere paſcha iudęoꝝ/hoc eſt/diem ſalutis iudęorum cum die ſalutis gentium/ & cum die pacis atq; concordiæ: in quo agnus ĩmaculatus non ſolũ a iudęis uerumetiã a gentibus ĩmolabatur / ut per uictimã qua ſeipſum hoſtiã pro omnibus præbuit/ ceſſare faceret atq; deleret omne holocauſtũm/ & omnẽ ſanguinis ĩmolationem diis gentiũ exhiberi ſolitam. Sic enim deus ab initio conditi mundi ſua ineffabili prouidẽtia futurũ diſpoſuit: ut tempora omnia que eius filii paſſionem myſtice preſignauerant/ & quæ per primi hominis lapſum contaminata fuerant / omnia ſimul in die paſſionis eius purificanda concurrerent. Et quoniã difficile fuit & rarum

cuncta hæc tempora & omnia crucis mysteria siue arcana in diem unum accidere/expectauit Iesus hunc diem mysteriis plenũ suæ passioni deputatũ. Nam cũ tempore importuno a perfidis iudęis sępenumero quæreretur ad necem sedulo secessit seseq; abscondit; quod quidẽ mysteriũ stulti timorem putabant/ cum non esset timor/sed idonei temporis expectatio: Secessit ergo & ambulauit in Galilęam/quia nondum uenerat tempus passionis eius. Præstolabatur enim hũc diem mysteriis plenũ: ut in quo omnes passionis conditiones & crucis figuræ concurrerent. Expectabat hunc diem cunctis diuinarũ dispositionũ diffinitionibus cõsecratum. Expectabat hunc temporis plenitudinẽ. Expectabat etiã terminũ hebdomadũ: quas Daniel propheta usq; ad mortem Christi denunciauerat: & alia multa quæ per quinquaginta oracula in libris quos diximus exposuimus. Cũ aũt hæc omnia iam aduentarẽt / in foribusq; adessent/& in diem unũ concurrissent/nõ fugit amplius passionem/sed sponte ad crucem accessit: & subleuatis in cęlũ oculis/clarifica pater inqt nomen tuũ / iam uenit hora ut trãseam ex hoc mundo/ Venit hora ut clarificetur filius tuus/

iam tempora omnia & temporum mysteria passioni meæ congrua & redemptioni humani generis apta & cōsentanea quæ ab ęterno præordinaueras instant. Clarifica nomen tuū/& cōuocatis in unum discipulis prima die azymorum ciuitatem locumq; supplicii ingressus pascha sanctum secundū legem parari iussit/ & luna quartadecima ad uesperam agnum paschalem una cum discipulis manducauit: ut nō solum uerbo sed etiam opere nos doceret pascha sanctum debito & statuto tempore iuxta lunę cursum celebrādū esse. Et cœna facta Eucharistię sacramētū/in suę passionis memoriā nobis obseruandū instituit: Hoc inquit facite in meam cōmemorationem. Nam sicut agnus paschalis fuit signum præfiguratiuum futuræ passionis Christi/sic Eucharistię sacramentū est signum rememoratiuū præteritæ passionis. Pascha uero quod trophęi crucis Christi prius fuit præfiguratiuū/ nūc triumphalis resurrectionis eius est signum rememoratiuū/ & nostrę insuper resurrectionis significatiuū: Est enim phase/hoc est/transitus dn̄i/ut quod transitum Christi de morte ad uitam typice nobis præfigurauit/ & transitum nostrū de corruptione ad incorrup-

tionem/de pœna ad gloriam/ de morte ad uitã significauit. Hæc est certe dies quam dominus sua resurrectione sanctificauit. Sũmopere ergo niti debemus ut mystica hęc tempora obseruentur: cum & deus omnipotens (Numeri nono) minetur exterminiũ animæ quę pascha nõ fecerit tempore definito. Tota nanq; paschalis solemnitatis ratio in duobus his modulis consistit/primi mensis uel ęquinoctii obseruatiõe: & quartædecimæ lunę indagatione: Sed quia neq; ęquinoctium neq; quartadecima luna firmã in calendario sedem habere possunt ut quę iam ad multos dies sunt anticipata / contingit sæpenumero pascha ad triginta dies ultra legitimũ tempus prorogari/& post uigesimam primam lunam & in secundo mense (Numeri nono) immundis deputato celebrari. Duæ nanq; sunt præcipuæ causæ / quæ rectam paschæ celebrationem impediunt. Prima ex positione uernalis ęquinoctii quam ecclesia hac tempestate adhuc obseruat die uigesima prima martii sicut prisci patres statuerũt uidelicet die. xxv. mẽsis phamenoth: cũ tamen id modo decima/ modo undecima martii fieri uideamus. Causa aũt anticipationis ęquinoctii uernal' in romão

calendario contingit ex eo / q annus solaris a Iulio cæsare institutus quem ecclesia obseruat nō adamussim quadrat cum solis reuolutione in cęlo sed eam in paucis minutis excedit: continet namq; annus ecclesię dies. ccclxv. cum horis sex / pro quibus quarto quoq; anno intercalatur dies unus qui bisextilis uocatur: sed annus solaris cęlestis continet iuxta alphonsinas supputationes dies. ccclxv. horas quinq; / minuta. xlix. secunda. xvi. differūt ergo in minutis decem / secundis. xliiii. quæ aggregata per annos. cxxxiiii. conficiunt diem unū fere / hoc est horas. xxiii. minuta. lviii. secunda. xvi. atq; inde factū est ut a tempore Nicęnæ synodi usq; ad ætatem nostrā ęquinoctiū ascendit in calendario romano ad dies decē. Secūda causa quæ impedit rectā paschę celebrationē oritur ex indagatione quartędecimæ lunæ per cyclum decemnouēnalem alexandrinoꝝ: qui licet responderet motui cęlesti tpe Nicęnæ synodi quādo fuit institutus / tamen postea diuturnitate temporis collapsus multū a uero nunc lunæ cursu aberrat / & numerus eius qui tunc aureus uocabatur nunc tēporis cursu factus est pene plumbeus. Nam quoties ecclesia iuxta hūc cyclum

denunciat lunam esse primã toties in cęlo con spicitur quinta uel sexta. Causa aũt erroris est quia decem & nouem anni solares cum suis bi sextis nõ sunt adamussim æquales decẽ & no/ uem annis lunaribus cum suis embolismis in motu cœlesti/sed excedũt eos hora una/minu/ tis.xxviii. secundis tribus: quo fit ut in quat/ tuor cyclis(qui faciũt annos septuaginta sex) superent eos horis quinq3/minutis.lii. secun/ dis.xiii.quæ aggregata in sexdecim cyclis(qui faciũt annos trecentos & quattuor)constituũt diem fere unũ.quamobrem lunationes omnes in calendario descriptæ a tempore Nicęnæ sy/ nodi usq3 in hũc diem anticiparunt sedes suas ad diem quintũ: indigent ergo hæc correctio/ ne aliqua & moderatione de qua nunc scribe/ mus. Error qui cõtingit ex anticipatione ęqui noctii facillime corrigi poterit si ponetur ęqui noctiũ die decima uel undecima martii: nam cũ introitus solis in arietem nonæ sphęræ siue in lineam æquinoctialẽ semper uagetur inter duos dies/ & hac tempestate uersẽt inter diem decimũ & undecimũ martii / poterit collocari æquinoctiũ in altero dierum dictorũ. In anno quidẽ bisextili cõtingit ipsum fieri die decima

martii circa horam tertiam post meridiem: In primo anno cōmuni die decimo circa horā nonam post meridiem: In secundo anno cōmuni eodem die decimo circa quintādecimā horam post meridiem: Sed in tertio anno cōmuni circa horam·xxii·post meridiem diei decimę/hoc est/per duas horas ante meridiem diei undecimæ· Et quia annus bisextilis corrigit defectus annoꝝ cōmuniū & æquat eos motui cœlesti / conuenienter ęquinoctiū figeretur die decima martii uel in nocte sequente eam : uel si magis placeret figatur undecima martii · Simili modo corrigi poterit error cycli decemnouennalis anteriorando omnes numeros in calēdario descriptos ad diem quintū · Sed quia cyclus iste alexandrinus quo ecclesia pro quartadecima luna paschali indaganda utitur est corruptus & integer nō inuenitur/ ac magis congruit calendario alexandrino a quarto calendas Septembris incohato quam calendario romano a Ianuario incipiēte/ expediret romanæ ecclesiæ nouū cyclum decemnouennalē conscribere & a principio Ianuarii eum incohare· Errāt nāq; alexandrini in eo ꝙ faciunt septem lunationes embolismicas dierum triginta præter ordinem

cum quinq; sufficiant/intercalantes superfluæ diem unũ / quem postea per saltũ lunæ denuo auferunt facientes tres lunationes cõtinuatas dierum uiginti nouem. Frustra nanq; ponitur hic saltus lunæ/cum luna nunq̃ saliat: sed finxerunt hunc saltum lunæ in remediũ & antidotum erroris cõmissi ut per eum auferre possent diem per embolismos superflue intercalatum. Habet etiam hic cyclus alexandrinorum multos alios errores de quibus scripsimus in libris quos de paschę celebratione ędidimus/tertio/quarto/sexto & septimo. Expediret ergo ecclesiæ nouũ cyclum conscribere / & a Ianuario eum incohare/ ita ut ponatur unitas e regione primæ diei Ianuarii. Pro cuius descriptione assumemus primo ex astrologicis supputatiõibus q; quælibet lunatio iuxta mediũ motũ cõtinet dies.xxix.horas duodecim/minuta.xliiii.secũda tria/& tertia etiam tria: Si enim quęlibet lunatio cõtineret præcise dies.xxix.& horas duodecim & nullus fieret bisextus tũc facilis esset inscriptio cycli decemnouẽnalis in calendario: quia sufficeret fieri lunationes alternis uicibus alteram dierũ.xxx. alteram dierum.xxix. sed propter bisextũ quarto quoq; anno intercalatũ

& propter minuta· xliiii· & secunda tria ultra horas duodecim in qualibet lunatione exuberantia necesse est lunationes nõnullas fieri dierum triginta contra ordinẽ·Dicuntur aũt fieri dierũ triginta contra ordinẽ/ quoties duę lunationes continuatæ factęfuerint dierũ triginta· Et quoniã in quolibet cyclo decemnouennali & in decem & nouem annis solaribus fiunt lunationes ducentæ & triginta quinq; / si·xliiii· minuta/& tria secunda in qualibet lunatione exuberantia multiplicentur per lunationes totius cycli/hoc est/per·ccxxxv· prouenient dies septem/horæ quattuor/minuta·xxxi·scda·lvii quæ omnia intercalare oportet in quolibet cyclo·Et quia per bisextos cuiusq; cycli intercalãtur dies quattuor/ horæ·xviii· restant intercalandi per embolismos dies duo/horæ·x·minuta·xxxi·secũda·lvii· Cum ergo per quemlibet embolismũ triginta dierũ intercalentur horæ duodecim/sequitur q; quinq; embolismi dierũ triginta sufficiũt in quolibet cyclo/imo per eos nimis intercalatur hora una / minuta·xxviii· secũda tria· Cæterũ pro descriptione cycli decẽnouẽnalis in calendario romano est animaduertendũ / q; nõ oportet in hoc considerare bi-

sextũ:quia dies bisextilis nõ est pars calẽdarii:
nam licet annus Iulii cęsaris cõtineat dies.ccc.
lxv.cũ quadrante/pro quo quarto quoq; anno
intercalatur dies unus/tamen calendariũ Iulii
cęsaris nõ habet nisi dies.ccclxv. quia dies per
bisextũ intercalatus est aduẽticius:& nõ auget
numerũ dierũ mẽsis februarii/ sed duo dies ui
delicet dies additus & dies sextus calendarum
martii ꝑ uno die cõputãt. Dies quoq; interca-
latus æqualiter addit anno lunari sicut solari/
quãobrẽ prima lunatio post bisextũ quę iuxta
ordinẽ calẽdarii est dieꝝ.xxix. ex cõsuetudine
ecclesiæ sit dierũ triginta prẽter ordinẽ consue
tum: cum ergo decem & nouem anni solares se
clusis bisextis contineãt dies.6935. si omnes lu
nationes fiãt alternis uicibus altera dierũ.xxx
altera dierum.xxix. præter quinq; lunationes
quæ fient dierũ.xxx.contra ordinẽ constituũt
præcise dies.6935.quos dies diximus contineri
in.xix.annis solaribus:Sunt ergo decem & no
uem anni solares ęquales decem & nouem an-
nis lunaribus hoc modo in calendario descrip
tis:& uterq; ipsoꝝ excedit decem & nouem an-
nos lunares celestes/hora una/minutis.xxviii.
secũdis.iii. Ex prędictis sequitur errasse alexã

drinos/ qui ſeptem emboliſimos fecerunt dierũ triginta intercalantes ſuperflue diem unũ/ quē poſtea per ſaltum lunæ iterum anno ſubtraxe/ runt/ facientes tres lunationes continuatas die rum·xxix· Eſt enim maxime cauendum in de ſcriptione cuiuſq; cycli decemnouennalis / ne fiant plures lunationes continuatæ dierum tri ginta uel uigintinouem niſi pro conformitate motus cęleſtis ita fieri neceſſe fuerit · Expedit ergo nouũ cyclum romano calendario inſcribe re ponendo unitatem prima die Ianuarii/ & fa ciendo omnes lunationes alternis uicibus alte ram dierũ·xxix· alteram dierũ·xxx· & quinq; lunationes emboliſmicas dierũ triginta contra ordinem ſine ſaltu lunæ qui ut fiat magis con/ formis motui cœleſti conueniens erit primam lunationem fieri dierũ· xxix· ſecundam dierũ xxx·tertiam dierũ·xxix·ſicq; in cęteris:& ſi pri mus emboliſmus factus fuerit dierũ·xxix· fiet deſcriptio magis conformis motui cęleſti:quã/ obrem epactæ omnes poſt primũ emboliſmũ excedent epactas conſuetas unitate : emboliſ/ mus anni decimiſeptimi fiet dierum·xxx·iux/ ta ordinem/ ſed reliqui quinq; emboliſmi fient

dieꝝ triginta contra ordinem: & sic cyclus iste maxime erit conformis motui cęlesti. Hūc nouū cyclum a prima die Ianuarii incohandum deus optimus christianæ reipublicæ bene semper consulens uniuersis christianis per iubileū anno Millesimoquingentesimo proxime præteritum insinuauit/ qui ineffabili sua prouidentia ab æterno futurū disposuit ut in Iubileo iā dicto luminariū fieret congressus iuxta mediū motum quem romana ecclesia in luna paschali obseruare cōsueuit in meridie primæ diei Ianuarii in urbe roma/ in qua Christi saluatoris nostri Vicarius residet / occasione nobis pulchre oblata/ & quasi manu dei porrecta ut noui cycli lunaris supputationem a Ianuario Iubilei una cum calendario auspicemur: & in hoc recte Petrus aliacensis cardinalis cameracensis in tractatu correctionis calendarii (quē ędidit tempore synodi constantiensis) dixit/ pro iucunditate uerificationis calendarii quando fieret / annum illum merito Iubileum posse appellari / placuit ergo diuinæ prouidentiæ hanc luminarium coniunctionem fieri in meridie primæ diei Ianuarii iubilei prædicti/ ut

nouũ hunc cyclum a Ianuario iubilei auspicaremur. Nec obstat annũ iubileũ iam esse transactum / quia ab eo cõputationis duntaxat initiũ sumemus: quemadmodũ astrologi cursus planetarũ ab anno natiuitatis dñi computant non obstante natiuitatem eius iam diu fuisse transactã. Hoc aũt cyclo sic descripto oportebit augere aureum numerũ consuetũ per unitatem ut abunde libro nono ostendimus. His sic dispositis talis paschæ canon obseruandus erit/ Omnis quartadecima luna quæ cadit ipso die equinoctii uernalis uel ꝓxime post equinoctiũ/apta erit ad paschæ celebrationẽ & uocabitur terminus paschæ/& dñica sequente rite celebrabitur pascha. Cæterũ animaduertendum est ꝙ ex hac correctione calendarii sequitur dñicam septuagesimæ aliquando posse cõtingere intra octauã epiphaniæ: quamobrem mutanda erit rubrica illa/quæ de interuallo inter diem epiphanię & septuagesimã poni solet: & tunc mutandũ erit officiũ intra octauã epiphaniæ in officiũ septuagesimæ. Sed hanc positionem doctores nõnulli accusabant putantes nõ conuenire ꝙ alleluia relinqueretur intra octauã epiphaniæ/ quia ecclesia per totã octa-

uam consueuit cantare alleluia: tum etiã quia cadente dñica septuagesimæ intra octauã epiphaniæ non possent legi epistolæ Pauli iuxta rubricas cõsuetas. Ad hoc responderi facile potest/q̃ non est inconueniens dimittere alleluia intra octauã epiphaniæ: nã uidemus idem sæpenumero etiam relinqui in aliis festis maioribus ut in festo annunciationis siue incarnationis mirifici uerbi dei quod est maximum & inter alia festa in calendario descripta(quæ fixa nuncupantur)primũ/quia fuit principiũ humanæ salutis/ & tamen cũ cadit inter septuagesimã & pascha nõ recipit alleluia nisi transferatur post pascha. Simili modo respõderi potest ad hoc quod obiicit de epistolis Pauli quæ nõ possent legi cadente dñica septuagesimæ intra octauã epiphaniæ:quia hoc nõ est inconueniẽs imo iam superioribus annis sæpenumero contigit/& tamen nõ fuit reputatũ inconueniens: nam quoties pascha celebratur die. xxii. xxiii. uel. xxiiii. martii/ nihil potest legi de epistolis Pauli:quia tunc nulla cadit dñica inter octauã epiphaniæ & septuagesimã in qua debẽt poni epistolæ Pauli. Itaq; si hoc nõ fuit reputatũ inconueniens tempore præterito nõ debet etiam

reputari inconueniens tempore futuro: Poterit tamen afferri remedium pro tempore futuro si fierent super hoc nouæ rubricæ / uel si transferentur epistolæ Pauli ad interuallum quod est inter festum pentecostes & aduentum domini quod per hanc correctionem calendarii crescet ad decem dies / & sic illud quod deficiet in uno interuallo supplebitur in altero / & si non inuenietur alleluia in primo interuallo abundabit in secūdo / iuxta illud quod ecclesia cantat / Mittite in dexteram nauigii rete & inuenietis alleluia. Et licet per hanc correctionem calendarii dominica septuagesimæ posset aliquando cadere intra octauam epiphaniæ nunꝙ tamen id ipso festo uel ante cōtinget quamuis nullum ex hoc ut diximus inconueniens sequeretur / nam iuxta dei præceptum & sanctorum patrum decreta pascha celebrari præcipit̃ in primo mense qui nouorum appellatur / quiq; a lunatione uernalis æquinoctii auspicatur / & siue illa in Martio / siue in Februario / siue in alio quouis mense contigerit semper pascha die dominica post quartamdecimā lunam primi mensis celebrari debet: quod si posteri per nouā correctio-

nem calendarii cauere uoluerint ne septuagesima unq̃ in festo epiphaniæ uel ante contingat facile poterunt prouidere prætermittendo aliquos bisextiles / uel auferendo aliquos dies ab anno/ uel figendo æquinoctiũ in die certo aliquo/ sicut a nicæna synodo hucusq; toleratum fuit. Sed quia hæc non impediunt correctionem calendarii iam expositam/ non sunt nunc determinanda/ne uideamur ponere falcem in messem alienam:sed relinquenda sunt posteris ut pro suo arbitrio prouidere possint. Hęc pauca ad compendiũ correctionis calendarii nunc sufficere arbitramur / si quis tamen plura desiderat / ad uolumen quod de recta paschæ celebratione & de die passionis domini ędidimus recurrere poterit in quo tribus & triginta libris hanc materiam abunde tractamus. Vos ergo reuerendissimos dominos ad correctionem calendarii a sanctissimo domino nostro Leone decimo deputatos rogo obsecro & per passionem domini nostri Iesu christi obtestor / ut præclarissimam ac sanctissimã hanc operam christianæ religioni tam utilem tamq; necessariam acri studio nauandam suscipiatis/

& pascha sanctũ iuxta patrũ decreta celebrari definiatis ne pro panseleno & plenilunio neo- meniã obseruantes eclipses solares die ueneris sancta contingãt & cõminantis dei uocem me rito audiamus per Esaiam prophetã capite pri mo dicentis/ Solemnitates uestras odit anima mea/laboraui sustinẽs/ nõ feram amplius neo- menias uestras/hoc est/ nouilunia uestra. Sed nec illud præteribo obseruandũ esse summope in paschæ celebratione æquinoctium uernale/ quod ipsæ quoq; hirundines & ciconiæ in suo pascha/hoc est/transitu semper custodiunt: ne nobis obiici possit quod deus per Hieremiam prophetam capite octauo dixit/ Cognouit tem pus suũ turtur & hirundo ac ciconiæ custodie runt tempus aduentus sui / populus aũt meus nõ cognouit iudiciũ dñi sui : quomodo dicitis sapientes nos sumus? & lex domini nobiscum est? uere mendaciũ operatus est stilus mendax scribaꝝ/uerbũ enim dñi proiecerunt & sapien- tia nulla est in eis : hæc Hieremias. Sũmopere ergo niti debemus ut sacra hæc tempora quæ deus instituit obseruentur : ne forte contingat carnibus uesci & bacchanalibus frui quando ieiunandũ est ; & lugubribus officiis insistere

quando alleluia decantandū est. Quantū nāq3 dies paschalis ultra legitimū terminū proroga tur/tantum etiam interuallum temporis inter natalem dñi & carniuoꝝ contra patrum decre ta extenditur: quod nonnunq̄ prolongatur ad dies trigintaquinq3 cum maximo christianoꝝ apud iudęos ludibrio/& ieiunantiū incōmodo sed laruantiū gaudio plausuq3 qui ex nostro er rore longius laruandi & peccandi tempus lu crantur: quæ cum ita sint patres obseruandissi mi summopere conandum est ut mystica hæc tempora & sanctoꝝ patrum decreta & angeli cæ reuelationes imo omnipotentis dei de pas chæ celebratione mandata diligentissime ob seruentur: ut secundum legem uiuentes a perfi doꝝ iudeoꝝ calumniis & cōtumeliis liberi esse possimus. Valeant. D. v. quibus paschalis cele britatis canonē & me cōmendo/ Vos uero san ctissimo domino nostro & sacratissimæ Late ranensi synodo utrunq3 cōmendare uelitis.

¶Finis.

¶ Propositiones quattuordecim ad reformationem calendarii & rectam paschæ celebrationẽ sub correctione sanctissimi domini nostri dñi Leonis diuina prouidentia papæ decimi/& sacrosanctæ lateranensis synodi editæ.

¶ Prima propositio.

¶ Recta obseruatio paschal' celebritatis ex decreto synodi palęstinæ atq; nicęnæ pręter quartamdecimã lunam primi mensis diem etiã dominicam proxime sequentem requirit.

¶ Secunda.

¶ Primus mensis lunaris ex diuina institutione a lunatione uernalis ęquinoctii auspicatur; iuxta illud Deuteronomii.xvi. Obserua uerni primũ temporis ut facias pascha dño deo tuo.

¶ Tertia.

¶ Aequinoctium uernale fit cum sol primum punctum Arietis nonæ sphęræ ingreditur/uel punctum circuli æquinoctialis attingit.

¶ Quarta.

¶ Iulius cęsar romanũ calendarium instituens posuit æquinoctium uernale octauo calendas Aprilis/hoc est/die uigesimaquinta Martii.

¶ Quinta.

¶ Postea tempore sacri concilii nicęni post de-

cursum fere annorum cccl xx sedes equinoctii ad xxi eiusdem mensis translata inuenitur.

¶Sexta.

¶Post nicenam synodum ecclesia sedem æquinoctii in calendario nunq̃ mutauit: & tamen centesimo trigesimoquarto quoq; anno æquinoctii sedem per unum diem ascendere in calendario constat.

¶Septima.

¶Causa huiusmodi ascẽsiõis siue anticipatiõis æquinoctii ex eo oritur / q; annus Iulii cæsaris quem ecclesia obseruat / & qui cõtinet dies ccc lxv & quadrantem / idest sex horas / excedit annum solarem celestem decem minutis / & xliiii secundis; quæ aggregata in centum & triginta quattuor annis unũ fere diem cõstituũt. Itaq; diem hunc uel tunc ab anno demere uel sedem æquinoctii uno die anteponere oporteret.

¶Octaua.

¶Aequinoctiũ uernale / siue introitus solis in Arietem nonæ sphæræ hac tempestate modo x modo xi martii contingit. In anno quidem bisextili x. In annis uero communibus aliqñ in nocte sequente x aliquando xi martii contingit / quo fit ut si nunc æquinoctium poneretur

decima uel undecima martii plurimũ recte paſchali obſeruationi conſuleret̃ & fideles minus quadrageſimali abſtinentia laborarent.

¶ Nona.

¶ Numerus etiã cycli decemnouẽnalis qui aureus uocatur / quiq; lunæ curſum demonſtrat/ firmã in calendario ſedem habere nõ poteſt/ut qui a tempore quo inſcriptus calendario fuit uſq; ad hunc diem / ad diem quintũ aſcendit/ ita ut luna quæ ab eccleſia prima denunciatur cõmuniter in cęlo quinta aliquando ſexta conſpiciatur: quamobrem ad rectam paſchæ celebrationẽ numeri huius cycli tranſferẽdi eſſent ad diem quintũ / uel nouus cyclus romano calendario congruentior deſcribendus eſſet.

¶ Decima.

¶ Noui cycli deſcriptio conuenienter a Ianuario auſpicari poteſt / ita ut prima die Ianuarii ponat̃ unitas & prima lunatio fiat dieꝝ.xxix. ſecũda dieꝝ.xxx.tertia dierũ.xxix. & ſic in cæteris ita ut omnes lunationes fiant alternæ altera uidelicet dierũ.xxix.altera dierũ.xxx. ſed de ſeptem emboliſmis quinq; dũtaxat fient dierum.xxx.contra ordinem/ſcilicet emboliſmus anni ſexti/ octaui/ undecimi/ quartidecimi/ &

deciminoni: sic enim cyclus iste fieret maxime conformis motui cęlesti. Hoc tamē est animad uertendum quod in cyclo isto nouiter descri- bendo ad habendū aureum numerū cuiq; an- no correspondentem oportebit augere aureum numerū consuetum unitate.

¶ Vndecima.

¶ Quod aūt numerus cycli decemnouennalis firmam in calendario sedem habere nequit/ex eo oritur ꝙ decem & nouem anni solares cum suis bisextis nō sunt adamussim æquales decē & nouem annis lunaribus cū suis embolismis: sed excedunt eos hora una/minutis. xxviii. & secundis tribus: quæ aggregata in quattuor cy clis (qui faciunt annos septuagintasex) in qui- bus omnes diuersitates ex bisexto prouenientes ęquantur/constituūt horas quinq;/minuta. lii. secunda. xiii. quę iterū aggregata in quater sep tuagintasex (quæ faciūt cyclos sexdecim) hoc est in annis. ccciiii. unū fere diem constituūt.

¶ Duodecima.

¶ Ad conseruandū ergo cyclum decemnouen- nalem in calendario nouiter describendū expe diret unū bisextum in trecentesimo & quarto quoq; anno prætermittere.

¶Tertiadecima.

¶Itaq; omnis quartadecima luna quę cadit ipso die ęquinoctii uernalis/uel ꝓxime post ęquinoctiũ apta erit ad paschæ celebrationem/ quę & terminus paschæ uocabitur: & sequente dominica rite celebrabitur pascha.

¶Quartadecima.

¶Nec graue existimandum est si ex hac antepositione æquinoctii & cycli siue aurei numeri continget aliquando dominicã septuagesimæ cadere intra octauã epiphanię/& alleluia propterea relinquere: cum nullum ex hoc sequatur inconueniens/ quia uidemus ut plurimũ relinqui etiam alleluia in festo incarnationis mirifici uerbi dei: quod omniũ festorum calendarii (quæ fixa appellantur) est primũ & maximũ. Et licet per hanc correctionem calendarii dominica septuagesimæ posset aliquando cadere intra octauam epiphaniæ/nunq̃ tamen id ipso festo uel ante continget/ ut superius declaratũ est.

¶Finis.

¶ Ex parte sanctissimi domini nostri dñi Leonis diuina prouidentia papæ decimi/& de eiusdem mandato mihi B.episcopo sabinensi cardinali sanctæ crucis uiuæ uocis oraculo facto/notificatur omnibus & singulis/ac sub pœna excõmunicationis latę sententiæ/ & ducentorum ducatoꝝ aureoꝝ irremissibiliter exigendorum & cameræ apostolicæ de facto applicandorum præcipitur/ q nemo audeat uel præsumat imprimere / siue imprimi facere / aut impræssum uendere hoc breue uel compendiũ de correctione calendarii/ sine licentia reuerendi patris domini Pauli episcopi forosempronienſis / & dñi Iacobi sadoleti eiusdem sanctissimi domini nostri secretarii.